PRVSSIA,

SIGISMVNDO AVGVSTO REGI OPT. MAX. IOANNE DEM. SOLIKOVIO AVTHORE, M. D. LX. VI. Regiomonti.

Ab Alberto Solikouio eius nepote refricata J 6 0 2. Crac.



CRACOVIÆ, In Officina Iac. Sibeneycher, Anno Dñi 1 6 0 2.

IN STEMMA
Ill^{mi} ac Reu^{mi} D.D. Petri Tylicki,
Epiſcopi Varmien̄, &c. &c.



Crux pietatis honor: ſolea eſt ſed teſſera belli,
Quàm benè Tilicio hoc nobile ſtemma datum!
Vis ſoleæ, quoties res cunq; popoſcerat, hoſtis
Proſtrauit vires, telaq́; comminuit.
Eccur crux gemina eſt, duplici cur ſplendet honore?
Hinc ſtudium patriæ eſt; hinc pietatis amor.

Illmo ac Reuer^{mo} in Christo Patri & Dño

D. PETRO TYLICKI,

DEI GRATIA EPISCOPO VARMIEN. AC REGNI POLONIAE PROCANCELLArio &c. &c. Domino & Patrono obseruand^{mo}.

ALBERTVS SOLIKOWSKI A SOLKI & in OSTROW, *multam in multos annos salutem dicit.*

EXIERAT OLIM IN LVCEM IVVEnili carmine, *Ill^{mi} et Reuer^{mi} D. Io*ANNIS DEM. SOLIKOWSKI, *Archiepiscopi Leopolieñ, patrui et patroni mei benig^{mi}, Prussia Ducalis, quam illis, annis Diuæ memoriæ Rex* SIGISMVNDVS AVGVSTVS, *è maximis vt audio turbis vt singulari felicitate, ita maxima celeritate, vindicauerat. Sed deficientibus exemplaribus, eam vir doctus et optimus, Daniel Hermanus, Regius Secretarius, nonagesimo nono anno in Liuonia recudit. Quam dum legerem, non vulgare studium in me, æmulandæ virtutis paternæ, quam in patruo meo conspicio, excitauit. Qui quantus esset futurus, hic tum, quasi messis in herba ostendebat et pollicebatur. Et quia sine du-*

 bio,

bio, Ill^mæ et Reuer^mæ D. Vestra memor est illorum eius initiorum, cùm ferè eius sit æqualis, ipsumq́; singulari amore prosequatur, non abs re mihi facturus videbar, si hoc illius carmen denuo edi curarem, et Ill^mæ ac Reuer^mæ D. Vestræ dedicarem: vt denuo si non omnium oculis expositum sit; at saltem eorum, qui ambas Illustrißimas et Reuerendiß. D. Vestras amant: et illarum consanguineis adolescentulis, qui nunc in studiis literarum versantur, aliquod ad virtutem et bonas literas calcar addat. Me quoque iampridem Ill^mæ et R^mæ D. V. addictum; et cui in Prußia cuius Princeps est et caput, multum humanitatis et beneuolentiæ declarauit; vt in maiorem gratiam reponat, rogo ac oro. Cuius me amori et patrocinio quàm diligentißimè commendo, ipsamq́; diutißimè saluam et incolumem eße desydero.

Cracouiæ, Idibus Nouemb. M. DC. II.

PRVSSIA

PRVSSIA REGI.

ILLA ego, quæ longa ſteteram Boruſsia pace,
Nuper ab externis dilacerata feris.
Pòſt lac exuctum penitus vel advſq; cruo-
Et ſi quis toto corpore ſuccus erat. (rem,
Afflictum tandem tollo caput, oreq́; damnis
Aſſueto, trepidos ponere diſco pedes.
Vnde pares meritis referam, Rex Inclyte, grates,
Liberor à damnis, te auxiliante, meis.
Et contenta quidem mam̃is dum monſtra putarem,
Obticui, poteram diſsimulare malum.
At poſtquam in noſtro rabioſos viſcere morſus
Figunt: non potui vulnera tanta pati.
Nec potui miſeris lacrymis, nec parcere voci,
Ingenium ſexus ſumq́; ſecuta mei.
Mox tibi quæ cordi eſt pietas, aureſq́; benignæ;
Et vox, & lacrymæ te tetigêre meæ.
Tàm fœdè laceræ, ſortem miſeratus acerbam,
Matura mihi mox præſidiaris ope.
Regali ex ſolio, magno auſcultante Senatu,
Quo mihi ſuccurras, talia verba facis.
Illa graui quondam Boruſsia parta labore,
Conceſſa multos pace quieta dies.
Illa decus Regni, tum ſubdita fida Poloni,
Perturbata noua conditione, gemit.

Languida decumbit, neq; ſpes erit vlla ſalutis,
Ni tempeſtiua proſpiciamus ope.
Hinc lupus, inde canis multa cum prole, fatigat:
Quiq; abigat, nemo hoc tempore fidus adeſt.
Diſceſsêre, quibus decuit iuuiſſe parentem,
Spes illi in nobis ſola relicta manet.
Quam ſi deſerimus, nec in iſta ſorte iuuamus,
Ecquod ſanandæ poſtmodò tempus erit?
Labitur è manibus ſimul, ac occaſio nunquam
Commoda tam veniet, quàm bona prima fuit.
Ergo mei proceres, operas coniungite veſtras,
Pruſsia quo pacto noſtra, valere queat.
Demus id Alberto, fuimus quo ſemper amante
Vſi, & ſanguinis hic iure iuuandus erit.
Cuius in hoc ſenio, nobis hæc cura recumbit,
Vt poſsit placidos nempe videre dies.
Tranquilla & velut eſt vſus ditione, relinquat
Et nato imperii ſceptra tenere ſui.
Demus id Alberto iuueni, qui natus ab illo,
Magnanimum referet, moribus, ore, patrem.
Quo de cura mihi potior ſummenda videtur,
Ne ſit de manibus patria rapta ſuis.
Virtutes patrias, veſtigia plena ſequetur,
Deuinctus nobis more parentis erit.
Demus & his, quorum nobis ſubiectio nota,
Erga nosq; fides indubitata fuit.

Hæc

Hæc vbi dicta: Tuus ſubdit ſua vota Senatus,
Et mihi iucunda voce, benignus, ait.
Neſcit nemo grauis, res plenas eſſe pericli,
Quas tibi nunc motas Pruſsia tota dolet.
Succurrendum igitur terræ, mora longa faceſſat,
In ſola hac, ô Rex, alta pericla latent.
Prome ſagittiferam Princeps inuicte Pharetram,
Iuſtaq; regali concute tela manu.
Mitte Palatinum, quo nunc tua Breſta refulget,
Eſt qui Sluzouiæ lausq; decusq; domus.
Zborouium Petrum, Bieci Caſtella tenentem,
Indole promittit, proſpera cuncta, ſua.
Koſtkam Ioannem, linguæ rerumq; peritum,
Præfectum fundi, clare Gedane, tui.
Nicoleon Firley, veteri quem ſanguine, muſa
In doctis fecit nomen habere viris.
Horum conſilijs facies, operaq; fideli,
Vt careat tantis Pruſsica terra malis.
Iſta recenſentur concordia vota Senatus,
Hi ſibi delatum munus obire parant.
Seq; viæ accingunt celeres: mora nulla ſequuta eſt,
Publica priuatis quòd potiora ſciant.
Tum quidam Iuuenis Decurrit regiS ab aula,
Et Siſmunde tuo nomine iuſſa refert.
Cuius ego verbis mihi læta ferentibus hærens,
Indicio lætæ ſum recreata ſpei.

Aduentare refert, qui me & mea vulnera curent,
A miseraq; canes excutiantq; lupos.
Ecce autem veniunt, ceu sol post nubila grati,
Officiiq, ferunt munia plena sui.
Este salutati, quamuis ego languida clamo,
Quattuor ô magnæ lumina Sarmatiæ.
Gratia sit vobis mea lux, rediuiuaq; vita,
Quod vos immodicus non labor iste grauat.
Non tempus, non vos longa interualla viarum,
Commoda nec propriæ vos tenuêre domus.
Quo vos pro merito, Borussia salua, perenni
Laude vehet, vestra hîc nomina morte carent.
Hi mox intentis animis & robore iuncto,
Prudentes, felix aggrediuntur opus.
Et quia non plenis flauescit messis aristis,
Nec satis vtiliter semina condit humus:
Ni priùs euulsi sentes lappæq; nociuæ,
Ni stipulæ: steriles emoriuntur agri.
Sic priùs euellunt sentes, de corpore nostro,
Et morbos abigunt, quàm medicina datur.
Monstra foras pellunt, remouent & ab vbere nostro
Quæ mihi, mortifero vulnere, damna dabant.
Nec prece, nec precio, lacrymis, auróue mouentur,
Nil istis largæ quæq; dabantur opes.
Iustitiæ leges, generoso corde, secuti,
Immota sanctum mente tuentur opus.

Hinc

Hinc commissa viris quod sum melioribus, ex hac
Spe surgo, & iam res sunt meliore loco.
Expulsæ fraudes, iniuria longa recessit,
Quo doleat, nullus quodue queratur habet.
Ordo nobilium penitùs reparatur Equestris,
Quæ meritò debet, iam sua iura tenet.
Nil nunc Canicii, nil cætera turba quereris,
Matri erit hîc posthac nulla querela tuæ.
Conueniente sibi cuncta oppida iure fruentur,
Nec bona legitimi causa doloris erit.
Pax erit in terris, pax florida & aurea, nostris,
Materies nulla hîc seditionis erit.
Æquabunt miseris, æqualia iura, potentes,
Nil quisquam, præter ius, violenter aget.
Nil habet hîc iuris terris Osiander in istis,
Nomine qui sanctus, re maledictus erat;
En legatorum refugit decreta tuorum:
Romanæ fidei restituetur honor.
Scaliger his pulsus, meritoq; remotus, ab oris,
Materies tanti nam fuit ille mali.
Perniciosa suum nunc conspiratio finem
Accipit, & regno iam patefacta ruit.
Victarum, tota est violentia pulsa, ferarum,
Mentitas species, quæ pietatis habent.
Cedite degeneres fuci, lamiæq; rapaces,
In vos crudelis Sarmata semper erit.

Vitrices Aquilæ, vobis ſua roſtra minantur,
Ferratosq; pedes, pectus & indomitum.
Fama vetus veſtram moueat notiſsima mentem,
Victa eſt, Sarmatica, bellua multa, manu.
Laudatos habeas Pruſſos, qui in fluctibus iſtis,
Erga te immotam Rex tenuêre fidem.
Mens laudata ſit & ſenioris Principis in te,
Inq; meam ſobolem, quam moderatur amor.
In dextram ſumpſit tua quòd molimina partem,
In mea quòd facilem commoda ſeq; dedit.
Sint quoque laudati, tua Rex commiſſa gerentes,
Hi plenè morbis conſuluêre meis.
Hi plenè ereptam mihi reſtituêre ſalutem:
Nullus & in toto corpore languor erit.
His ego iam factis, melior Boruſsia viuam,
Poſtquam ſic ſenſus conualuêre mei.
Quam modò tu curam, pro me Rex magne, ſubiſti,
O pater, ô patriæ cura ſalusq; tuæ.
De tali cura poſthac nil oro remittas,
Eueniant rebus ne grauiora meis.
Namq; aliis etſi de noſtro corpore natis
Negligor, ac ſi illis ſæua nouerca forem.
Externi fortaſsè magis ſua commoda quærent,
Nulla erit, & tonſo vellere, cura mei.
Illos Regali tu obſerua lumine, ne ſic
Turba ea ſit, matri pernicioſa ſuæ.

Quan

Quàm benè fecisti mihi nunc, tam numina Diuûm,
Inuenias votis esse benigna tuis.
Perpetuò tanti stabit tibi gratia facti,
Donec in hoc aliquis corpore sensus erit.
Donec erunt cœlo gemmantia sydera, donec
Visuntur liquido monstra stupenda mari.
Hîc AVGVSTE tibi laudem seruabo perennem,
Immemor hîc nullo tempore facta tui.
Pòst ego iam tales nunquam subitura procellas,
Si mihi te saluum fata benigna dabunt.
Pulla meo nunquam cernetur corpore vestis,
Quam mihi te seruat parca verenda diù.
Vt valeamq; diù: post Diuos viue patrone,
Vnica Sarmatiæ & gloria nostra, vale.

Vni & Trino gloria.